



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 68. Secretarius Connestabilis ad Galliarum Regem missus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. A.C. 1475. sanctitas fuisse fatebatur, subjungens, iisdem etiam adscribi, Burgundo omnino integrum esse. Huic tamen arrogantius his verbis reposuit Burgundiæ Dux:  
 „ non tam opis tuæ indigus te in Gallias  
 „ evocavi, sed potius ideo, ut ad ea, quæ  
 „ Prædecessores tui in Francia amiserunt,  
 „ denuo recuperanda tibi auxilium præstarem;  
 „ quod vero foedus tuum attinet, nullatenus eidem adscribi volo,  
 „ nec unquam cum Gallis pacem aut inducias percutiam, nisi hi prius trajecto mari ad suos revertantur; nondum etiam temporis induciæ, quas ambo ad acceptandos pacis articulos vestris foederatis præscripsistis, exierunt. His dictis præcipiti prorsus gressu abiit, ac nonnisi Mense Octobri pactis induciis accessit.

## §. LXVIII.

*Secretarius Connestabilis ad Galliarum Regem missus.*

*Commin. l. 4. c. 3.* Inopina foederis cum Anglis initi fama haud minori admiratione Connestabilem affecit. Is Eduardum ob injuriam, quam ei nuper in oppido S. Quintini intulerat, merito sibi offensum credebat, hinc illum adire veritus, ad Galliarum Regem confugit, missis hunc in finem Crevilla, & Richerio, quem ab epistolis habuit

habuit. Rex primo illis colloquii gratiam denegat, cum vero ambos Burgundiae Duci infensos esse nosset, demum eis fandi copiam dedit, ea tamen usus diligentia, ut Contayus a tergo cujusdam parietis lignei lateret, ut per fatifcentium asserum rimulas, quæ hi duo referrent, percipere posset. Contayus favebat Burgundiae Duci, implacabili autem odio Connestabilem insequabatur, atque olim Atrebatum unacum præsidario milite in captivitatem abstractus erat. Eo igitur tam caute abscondito, Crevilla atque Richerius cubile ingrediuntur, atque exponunt, se a Connestabili in Belgium missos, ut Burgundiae Ducem ab Anglorum fœdere divellerent; hanc in rem se Duci adversus eos tantam inspirasse invidiam, ut Burgundus eorum partes deserere vix non decrevisset. Crevilla Regi obsequium præstare ratus, vocem suam mutabat, perinde ac si Burgundiae Dux loqueretur, & adversus Angliæ Regem non sine gravi contemptu plurima effudit convitia: His perceptis ambo Legati subjungunt, in præsentis rerum vicissitudine optimum fore consilium, si sacra sua Majestas cum Anglis pacifceretur inducias, Connestabilem huic rei perficiendæ haud gravate suam navaturum operam, dummodo Rex pro parte sua promitteret, quod se Anglis, ut ibidem hybernare possent,

Sæcul. XV.

A.C. 1475.

*Contay*

Sæcul. XV. possent, quasdam urbes minus nobiles  
 A.C. 1475. concedere vellet; nomine autem harum  
 urbium insinuare volebant aut Eufium,  
 aut S. Galerici oppida. Rex sat contentus,  
 quod coepti consilii telam rite texisset,  
 simulque Contayus omnia, quæ Conne-  
 stabilis tam per se, quam per suos Depu-  
 tatos dixisset, suis auribus percepisset, sine  
 omni verborum offensione utrumque Le-  
 gatum dimisit, eisque hoc duntaxat in  
 responsis dedit, „ ad fratrem nostrum  
 „ (Connestabilem intelligebat) mitte-  
 „ mus Legatos, qui eidem animi nostri  
 „ consilia aperient.“ His dictis eos va-  
 lere iussit.

## §. LXIX.

*Burgundi conjuratio in Conne-  
stabilis perniciem.*

Legatis abeuntibus, Contayus indignatione commotus, jam omnis moræ impatiens erat, quin cuncta, quæ proprio aurium testimonio perceperat, protinus Burgundiæ Duci referret. Nec ad id prompta illi defuit occasio; quippe a Rege ad Burgundum Legatus decernebatur, literis publicæ fidei instructus. Dux re comperta ab illo temporis puncto in Connestabilis exitium jurabat, ac cum Ludovico XI. conferre, necnon novem annorum inducias pacisci statuit, easque paulo